Drei und dreißigster Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Lauban,

von Ostern 1859 bis Ostern 1860,

womit

zu der am 26. März 1860

mit den Schülern aller Klassen abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung

ehrerbietigst und ergebenst einladet

Dr. **Wilhelm Schwarz,**

Director des Gymnasiums u. Ritter d. r. A. O. 4. Kl.

Voran steht eine Abhandlung des Herrn Prorectors Dr. [redacted]

„Hugonis Purmanni Silesii Quaestionum [redacted] Particula Altera."

Lauban,

gedruckt bei den Gebr. Scharf.

Hugonis Purmanni Silesii Quaestionum Lucretianarum Particula Altera.

Quintus Tullius Cicero cum edere instituisset, quae a Tito Lucretio poeta scripta superessent, haud facile negotium suscepisse videatur. nam quae Suetonius, satis idoneos auctores secutus, de poeta scripta memoriae mandavit, cum ab Hieronymo in Eusebianum chronicon translata sint, cur a vera re nimis abesse dicamus, causa nulla est. neque retractasse igitur poeta putandus est carmina, aut quae primo ausu neglegentius quodammodo scripserit, emendasse neque quae supersunt, uno quasi tenore, tristiore morbo non vexatus, alia ex aliis artissime omnia apta ex animo effudisse.

Neque ipsius carminis conditione, quae iam est, causae non suppeditantur, quibus Suetonium vera retulisse confirmemus. praeter alias nominanda olim mihi videbatur causa in locis repetitis posita, quam quo iure in gravissimarum numero habendam esse dixerim, eo libello apparet, quem de Lachmanniana carminum Lucretianorum editione ante hos octo annos composui. quod Bernhardyus, cum de Lucretio disputat, mihi his locis ingenii quandam tarditatem simulat probari, me non dixisse id genus quicquam neque dicere unquam potuisse pluribus exponere non refert. summum ego poetam, quanquam tardo eum animo fuisse nusquam non negavi, ut angustiis quodammodo in tempus consuleret, versus saepius plures e prioribus libris repetiisse confirmavi. id quod sexti libri initio factum esse, qui diligenter carmen perlegerit, infitiari profecto nolit.

Aliam causam, qua Suetonium rem probe cognovisse appareret, Lachmannus primus exposuit. „Itaque," inquit, „perspicuum est, hos locos a Lucretio non eo ordine, quo nunc carmina scripta legimus, tractatos esse, sed alio tempore et cum cetera in manibus non haberet, cum quibus poeta et philosophus veri rerum ordinis maxime studiosus illa, si posset, quam aptissime coniungere debebat. ex quo apparet, quod iam supra dixi, ipsum poetam hoc opus non edidisse neque primum editorem curasse, ut singulae partes perfectae et absolutae viderentur." quae num omnibus, quibus probare instituisset Lachmannus, revera locis probarentur, cum de Lachmanniana editione olim disputabam, exponere longum erat. alienum igitur non esse videatur eos locos omnes, ut, quid statuendum sit, appareat, deinceps enarrare.

Insignis est locus alterius libri, quo de deorum mundi administratione Lucretius pauca docet, ita ut, quae exponat, ex prioribus apta non videantur.

Versus, cum non ita multi sint, ascribam:

[nec persectari primordia singula quaeque,
ut videant qua quicque geratur cum ratione.

At quidam contra haec, ignari materiai,
naturam non posse, deum sine numine, rentur
tanto opere humanis rationibus admoderate
tempora mutare annorum, frugesque creare,
et iam cetera, mortalis quae suadet adire
ipsaque deducit dux vitae dia voluptas
et res per Veneris blanditur saecla propagent.
ne genus occidat humanum, quorum omnia causa
constituisse deos cum fingunt, omnibu' rebus
magno opere a vera lapsi ratione videntur.
nam quamvis rerum ignorem primordia quae sint,
hoc tamen ex ipsis coeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
nequaquam nobis divinitus esse creatam
naturam mundi: tanta stat praedita culpa,
quae tibi posterius, Memmi, faciemus aperta:
nunc id quod super est de motibus expediemus.]

Quem ad locum antequam transiret, poeta, quo motu primordia omnes res efficerent, erat docturus. „nusquam ea cessare," ait, „neque cessando novos rerum motus progignere, cum aut gravitate sua ferantur aut ictu alterius corpusculi pellantur neque imus ullus sit in rerum summa locus, quo considere possint. quibus quoniam quies nulla permissa sit, assiduo motu exercitis corpusculis, aut cum exiguis intervallis resultent, valida saxa, ferrum, cetera id genus constitui, aut cum maioribus spatiis dissiliant, rariora effici corpora. neque non reperiri praeter haec etiam corpuscula, quae, quod nullis coniungantur, perpetuo neque ullo intermisso temporis spatio moveri, turbari, misceri videantur. celeritatem denique, qua ferantur primordia, miram vel solis luce probari, quae ubi orta sit, oculos tangat."

Quae qui reputaverit, cum Lachmanno fortasse versus, quos ascripsi supra, a reliquis separari malit, ita ut, qui praecedant, cum eis coniungantur, quibus poeta infra (v. 184 seq.) nihil sursum ferri exponat. at vereor, ne qui ita sentiat, iniuriam inferat Ciceroni, non indocto homini. certe quae Lachmannus ante versum 165 deesse censet, Epicuri epistolam ad Herodotum missam secutus, num eo loco scripta fuerint, dubito. „his enim", inquit ille, „recte subici potuerunt, quae primis his versibus significari puto, [multos philosophos mundum et res universas opinari non ex infinito esse sed deorum voluntate procreatas: hos vero rem nulla ratione nixam ponere; quippe quibus facilius videatur omnia semel ad ἀνάγκην et ad deorum arbitrium referre] nec persectari cet." Sed cum de mundo, originis non experti, in sequentibus verba nulla sint, cum Knebelio facere malim, qui Lucretium versus posuisse dicit ideo, ut, qui fortuito atomorum motu pulcherrimus natus esset mundus, admiratos veram doceret rationem. quanquam negare nolo Lucretium, si carmen retractare licuisset, versus loco forsitan moturum fuisse.

Certiora aliquanto mihi videntur esse, quae de versibus eiusdem libri 521 cet. Lachmannus disputavit. Qui versus hi sunt:

[Quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum,
inter se simili quae sunt perfecta figura,
infinita cluere, etenim distantia cum sit
formarum finita, necessest quae similes sint
esse infinitas aut summam materiai
finitam constare, id quod non esse probavi.]
versibus ostendam corpuscula materiai

ex infinito summam rerum usque tenere
undique protelo plagarum continuato.
nam quod rara vides magis esse animalia quaedam cet.

Qui accuratius rem examinare voluerit, eum non dubitare posse dicit Lachmannus, quin versibus 529 — 531 idem atque versibus 522 — 528 a poeta exponatur: ita tamen, ut versu 522 cet. luculentius rem egisse ille videatur. Quibus verbis quae repugnare dicam, quanquam fere non habeo, ne sine dubitatione cum Lachmanno consentiam, eo prohibeor, quod secus atque Lachmannus, qui protinus neque, quod in libris est, versibus v. 529 scribi iubet, cum Bernaysio deesse nonnulla ante versum 529 statuerim. quibus quidem, quae iam offendant, a Lucretio tolli non potuisse, quis est qui ratione certa confirmet?

Quod Christius proposuit hoc loco: „nec secus", cur a Lucretio omnino scribi non potuerit, per se apparet. profecto ne inania se coniecisse proderet, a Lachmanno de poetae opera hoc loco minus recte disputatum esse, debebat ille exponere. neque quae de his versibus Bernhardyus verba fecit, ea ad rem pertinent. qui, quod exercendi causa a poeta versus pactos esse dixit, Lachmanni quae esset de eis sententia, parum cognovisse videatur.

De tertio loco, quo Lachmannus Quintum Ciceronem in edendis carminibus minus curiosum fuisse probabat, cum in censura editionis Lachmannianae copiose disseruerim, brevis iam est disputatio.

De versibus 1013 — 1105, cum emblema diceret esse, Lachmannus propterea minus recte mihi indicasse videbatur, quod versus 1013 — 1022, quidquid contra ille diceret, a praecedentibus seiungi nullo modo possent neque cum versu 1012, a quo aptum esse voluit vir doctissimus, sine molestia coniungeretur versus 1105. quid quod absolutis eis, quae de atomorum motu, figuris, natura coloris, odoris, saporis, sensuum experti disputare instituisset, poetam duas exposui addidisse disputationes, alteram versibus 1023 — 1104, alteram versibus 1105 — 1174 enarratam, quae ita inter se cohaererent, ut cum praecedentibus neutra aptius altera coniungi posset.

In tertio libro eius disputationis, quam legimus v. 350 — 395, cum praecedentibus tantula mihi videtur esse coniunctio, ut, quae contra Lachmannum dicam, ne hic quidem multa praesto sint. Qui, cum de versu 396 cet. disputat, „hi versus", inquit, „et qui eum secuntur viginti ex prioribus non satis apti sunt: sed iidem si versui 349 continuo subicientur, omnia commodissime pro-

cedent. qua propter sentio, poetam ea, quae his interiecta sunt, quibus aliorum philosophorum sententias refutat, scripsisse quidem sed neque eodem tempore neque eo consilio, ut hoc loco reponerentur.“

Poeta enim, cum tertio libro mortales esse animam et animum persuadere constituisset, quae utriusque esset natura, prius exposuit. partem esse dixit corporis animam corporeamque esse, eius naturam, subtilissimis corpusculis compositam, ita ut coloris, aurae, aeris corpuscula cum quarta coniungerentur natura, quae nominis expers animi quasi animus dici posset. neque residere in vita posse sine corpore animam, neque sine anima corpus. animum vero ad vitam esse dominantiorem anima tanto, ut ademptis nonnullis animae partibus, modo animus salvus esset, in vita restaret homo.

Haec quam praeclare alia ex aliis apta sint, cur copiosius exponam, nulla iam causa est. neque neget quisquam versibus 350 — 395, cum ante disputationem legantur de animo ad vitam dominantiore institutam, interruptum quasi videri iustum rerum ordinem. eis enim poeta, ut etiam corpus neque solam animam sentire persuadeat, per oculos hanc quasi per fores videre negat.

Quod super est, si quis corpus sentire refutat,
atque animam credit permixtam corpore toto
suscipere hunc motum, quem sensum nominitamus,
vel manifestas res contra verasque repugnat.
quid sit enim corpus sentire quis adferet unquam,
si non ipsa palam quod res dedit ac docuit nos?
at dimissa anima corpus caret undique sensu:
perdit enim quod non proprium fuit eius in aevo.

Dicere porro oculos nullam rem cernere posse
sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,
desiperest, contra cum sensus dicat eorum;
fulgida praesertim cet. cet.

Neque haec satis erant. etiam Democritum carpit poeta, quod corporis atque animi primordia singula singulis apposita alternis variare ille dicat.

Illud in his rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
corporis atque animi primordia, singula privis
apposita, alternis variare ac nectere membra.
nam cum multo sunt elementa minora animai,

quam quibus e corpus nobis et viscera constant,
tum numero quoque concedunt et rara per artus
dissita sunt, dum taxat; ut hoc promittere possis,
quantula priva queant nobis iniecta ciere
corpora sensiferos motus in corpore, tanta
intervalla tenere exordia priva animai.
nam neque pulveris cet. cet.

Quae quamvis ita sint, tamen ne cum Lachmanno poetam versus non eodem tempore quo reliquos neque eo consilio scripsisse dicam, ut hic legerentur, haec mihi obstant. neque quo tandem loco praeter hunc versus poni possint intellego neque alienum a poetae consuetudine mihi videtur esse, enarrari hoc loco ea, quae Lachmannus inepto loco a Cicerone collocata dicit. is enim est timor poetae, ne quae ab ipso primo doceatur, Memmius minus recte intellegat, neve quae alii philosophi persuasuri fuerint, nova ratione certiora esse censeat. cui periculo ut occurreret, etiam eos versus, quos Lachmannus notat, hoc loco posuisse mihi videtur. scilicet metuebat, ne quae supra de anima sensus conciente dicta essent, prave intellectis, corpus ille diceret instrumentum quasi esse, quo ita uteretur anima, ut ipsa a corpore sine suo damno seiungi posset. nec quae praeterea contra Democritum disputata reperiuntur, si unquam dicturus esset, poeta aptiore loco dicere potuit. quoniam dicenda erant, quadruplici animae natura exposita, antequam ad refutandam animi immortalitatem pergeret disputatio.

Tantum igitur etiam hoc loco concedam Lachmanno, ut poetam, quae scripsisset, si retractare postea licuisset, aptius instituturum fuisse dicam.

Lib. III, v. 1024 cet. haec sunt:

Hoc etiam tibi tute inter dum dicere possis.
lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit;
qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.
inde alii multi reges rerumque potentes
occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
stravit iterque dedit legionibus ire per altum
ac pedibus salsas docuit super ire lacunas
et contempsit equis insultans murmura ponti,

lumine adempto animam moribundo corpore fudit.
Scipiadas, belli fulmen, Carthaginis horror,
ossa dedit terrae proinde ac famul infimus esset.

Versum 1031 Lachmannus propter molestam ac prorsus intolerabilem orationis abundantiam uncis inclusit eumque a correctore, cum aliter primo hos versus Lucretius scripsisset, iniuria servatum dixit. Bernaysius versum non notat; neque habeo, cur sine causa uncas eum removisse dicam. Xerxis enim a Lucretio mentio facta est, qui rex vel propterea in potentissimorum numero habetur, quod pedibus ipsis milites calcare undas iussit, cum ponte mari imposito neque navibus ingentem exercitum traiceret.

De exordio quarti libri, quod a Cicerone Lachmannus e primo libro repetitum esse dicit ideo, ne quartus liber exordio omnino careret, quid statuendum mihi videretur, in censura editionis Lachmannianae exposui. neque cur aliter hodie sentiam, quicquam habeo. profecto quae ad probandam meam de exordio illo sententiam tum protuli, si Lachmanni de carminibus sententiam veram esse dicamus, vel sexti libri loco quodam haud mediocriter confirmari videantur.

Ubi quidem haec leguntur:

quam quidem ut a nobis ratio verissima longe
reiciat, quanquam sunt a me multa profecta,
multa tamen restant et sunt ornanda politis
versibus: est ratio fulgendi visque tonandi
sunt tempestates et fulmina clara canenda,
[quid faciant et qua de causa cumque ferantur;
ne trepides caeli divisis partibus amens,
unde volans ignis pervenerit aut in utram se
verterit hinc partem, quo pacto per loca septa
insinuarit et hinc dominatus ut extulerit se.]
quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur.

Lachmannus de versibus 85 — 89 haec addit: „haec omnia pulcherrima sunt et huic loco valde accomodata, sed ii duo versus, qui ea excipiunt, orationis ordinem perturbant. nihilo minus iidem versus, Quorum operum causas et ipsi prorsus ad rem faciunt, si illa priora abessent. ex quo ap-

paret, Forbigerum parum recto iudicio omnia pariter delevisse, nisi quod duos primos versus, Quid faciant, ne trepides, qui soli per se nullum leporem habent, retinuit. quid enim clarius esse potest quam Lucretium, cum primo impetu hos quinque versus scripsisset, postea quam eos prope omnes maiore etiam cum vi et effectu alio loco poni posse viderit, infra post versum 382, hic eis duos alios pariter aptos substituisse ex libro 1, 153 repetitos?“

Locus, quo poeta versus 87 — 89 iterum posuit, hic est:

Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
perspicere et qua vi faciat rem quamque videre,
non Tyrrhena retro volventem carmina frustra
indicia occultae divum perquirere mentis,
unde volans ignis pervenerit aut in utram se
verterit hinc partem, quo pacto per loca saepta
insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se,
quidve nocere queat de coelo fulminis ictus.

Poetam igitur, ubi versus quosdam aptiore se loco ponere posse intellexisset, Lachmannus eos eo loco delevisse confirmat, quo aut minus apti viderentur aut aliis quibusdam levi opera permutandi. At ne hic quidem cum Lachmanno consentio. versibus 90 et 91 perturbari orationem utique nego, cum neque idem eis atque praecedentibus enarretur neque insit quicquam, quod a disputatione alienum dici possit. addidit eos Lucretius, id quod permultis locis factum est, eo consilio ductus, ut deorum mundi administratio quantum a vera ratione abhorreret, iterum atque iterum persuaderet.

Hoc quidem non nego, poetam exordium, quod minus apto loco supra a se positum esse intellexit, cum retractaturus esset carmina, ad sequentia accomodare magis constituisse.

Ciceronem profecto, quem, quod nimis religiosus fuerit, permultis locis castigat, qua tandem ratione Lachmannus hic ex libidine sua carmen conformasse, poetae verba mutasse confirmet, non intellego.

De versibus 168 — 179 ante hos duos annos, eadem, qua hodie, occasione usus disputavi. quo loco inania esse, quae de eis versibus Lachmannus disputaverit, effecisse mihi videor.

Lachmanni verba haec sunt: „sed insuper observandum est novem alios versiculos, qui notati sunt numeris 168 — 175 et 179, eos ipsos cum his quat-

tuordecim coniungendos esse. agitur enim utrobique res eadem, scilicet systases,*) quas Epicurus dicebat et quidem non tam earum *originis celeritas* quam potius *tenuitas*. — — — — — . itaque manifestum est Lucretium, cum alterum genus a se praetermissum esse intellegeret, haec in chartas ita coniecisse, ut ea nullo certo loco reponeret, correctorem autem poematis ne id quidem curasse ut partes dispersae coniungerentur.“

Atqui versibus 168 — 179 non de systasibus agi perspicuum est. nec quae versibus 129 — 140 de systasibus poetam disputasse Lachmannus suo iure confirmavit, aliena omnino ab hoc loco videantur. Imaginum enim, quae, nisi tenues sint, omnino esse nequeunt, enarrata origine et natura, cum de systasibus disputaturus esset poeta, haud inepto loco disputasse eum dixerim, antequam celeri ratione perpetuoque gigni celerique motu ferri simulacra persuaderet.

Poeta posteaquam aliis alium cibum propterea placere docuit, quod et cibus et animantes ipsae dissimilibus inter se quaeque primordiis constarent, aliis animantibus propter dissimiles formas alium odorem magis aptum esse dicit, alium aliis colorem. quae cum necessario inter se vinculo coniuncta teneantur, non sine causa admiratur Lachmannus, quod, antequam de coloribus disputet, penitus fluere odores maioribusque eos creatos esse corporibus poeta multis versibus docuerit. neque de coloribus variorum primordiorum concilio constantibus ita ille instituit disputationem, ut cum praecedentibus oratione coniungeretur. haec enim sunt, quae dicit:

quare etiam quod olet non tam facile esse videbis
investigare in qua sit regione locatum:
refrigescit enim cunctando plaga per auras,
nec calida ad sensum decurrunt nuntia rerum,
errant saepe canes itaque et vestigia quaerunt.
    [Nec tamen hoc solis in odoribus atque saporum
in generest, sed item species rerum atque colores
non ita conveniunt ad sensus omnibus omnes,
ut non sint aliis quaedam magis acria visu.
quin etiam gallum cet. cet.

Quae cum ita sint, Lachmannum hoc loco verum vidisse, quis est, quin sibi persuadeat? nam etiam si quis eis, quae praecedant, duntaxat scriptis a poeta versus pactos esse dicat neque quo tempore reliqua in manibus non ha-

*) **graecas litteras typotheta noster recusat.**

buerit ille, alieno eos loco iam reperiri neget. Lachmanni verba haec sunt: „hic idem observare licet, quod versu 129 vidimus. nam hi versus neque apto loco positi sunt neque possunt in suum, hoc est, post 686, traici. cuius rei quae causa sit, iam satis patere existimo.“

Difficillima quaestio est de versibus libri quarti 777 — 817, 822 — 857, 858 — 876. inani olim opera, cum, quae vera esset Lucretianorum carminum conditio, Lachmannus nondum docuisset, transpositionibus difficultates tollere studui. iam quin cum Lachmanno consentiam, non possum.

Poeta, ut, quibus rebus animus moveretur, Memmio persuaderet, imagines vagari ait subtilissimas, subtiliores etiam quam quibus oculi tangerentur. easdemque, cum infinitus esset numerus, per rara corporis intrare animique tenuem naturam lacessere. neque, cum casu interdum variae cohaererent imagines, omnes ab ipsis rebus profectas esse, ut centauros cernere nobis videremur, Cerberum, Scyllam, quae in vita nec iam essent nec unquam fuissent. atque adeo in somnis moveri animos simulacris; quae quod membra iactare tum viderentur, mirum non esse, cum ubi prius periisset alterumque alio inde statu natum esset, prius gestum mutavisse videretur.

nec ratione alia, cum somnus membra profudit,
mens animi vigilat, nisi quod simulacra lacessunt
haec eadem nostros animos quae cum vigilamus,
usque adeo, certe ut videamur cernere eum quem
reddita pro vita iam mors et terra potitast.
hoc ideo fieri cogit natura, quod omnes
corporis offecti sensus per membra quiescunt
nec possunt falsum veris convincere rebus.
praeterea meminisse iacet languetque sopore,
nec dissentit eum mortis letique potitum
iam pridem, quem mens vivom se cernere credit.
quod super est, non est mirum simulacra moveri
bracchiaque in numerum iactare et cetera membra.
nam fit, ut in somnis facere hoc videatur imago:
quippe ubi prima perit alioque est altera nata
inde statu, prior hic gestum mutasse videtur.
scilicet, id fieri celeri ratione putandumst:
tanta est mobilitas et rerum copia tanta,

775 tantaque sensibili quovis est tempore in uno
copia particularum, ut possit suppeditare.

Quae sequuntur, vel propter ipsam orationem multis locis dubitationem movent. molestissimum et, quod a versu 788 inde eadem fere poeta exposuit, quae supra dixerat.

Quid porro in numerum procedere cum simulacra
cernimus in somnis et mollia membra movere,
790 mollia, mobiliter cum alternis bracchia mittunt
et referunt oculis gestum pede convenienti?
scilicet, arte madent simulacra et docta vagantur,
793 nocturno facere ut possint in tempore ludos.
an magis illud erit verum? quia tempore in uno
796 tempora multa latent, ratio quae comperit esse.
propterea fit uti quovis in tempore quaeque
presto sint simulacra locis in quisque parata.
802 et quia tenuia sunt, nisi se contendit, acute
cernere non potis est animus: proinde omnia quae sunt
praeterea pereunt, nisi si quae ad se ipse paravit.

Praeclara igitur sunt, quae de his versibus Lachmannus disputavit. „Haec quoque,“ inquit, „ut ea, quae paulo ante consideravimus 706, Lucretio dignissima sunt, non interpolatore, quem fingit Forbiger: sed eadem neque eo consilio scripta sunt, ut ceteris ita ut factum est insererentur neque ullo alio huius poematis loco reponi possunt. nam primum haec coeptam disputationem interrumpunt, ut lector a versu 776 ad 818 transire debeat. deinde in his a parte eadem tractantur quae in prioribus. quis enim ferat ita bis de simulacris dici, quomodo membra moveant et iactent bracchia, ut factum est versu 768 et 788? et cum versu 775 in uno quoque tempore sensibili magna particularum copia adesse dicitur, id ni mirum idem est quod versu 794 exponitur, in uno quoque tempore, in quo re vera multa tempora lateant, in loco quoque simulacra quaeque praesto esse.“

Addere debebat, non idem utroque loco poetae fuisse consilium. altero id agebat, ut qua ratione moveri viderentur simulacra, appareret, altero, qui fieret, enarravit, ut quod cuique libido venisset, mens eius id ipsum cogitaret.

quaeritur in primis quare, quod cuique libido
780 venerit, extemplo mens cogitet eius id ipsum.

Quae ne sine causa miremur, quanta sit imaginum in omnibus locis copia parata, animadvertendum est. quarum ad quam se animus ipse paraverit, acute eam cernit, reliquas non cernit; quanquam infinita copia omnium ubique praesto est. id quod nisi ita esset, (esse autem ita somniis nobis persuadetur) qui, quae vellet, cernere posset animus, parum profecto appareret.

Somniis igitur hoc loco, cum eadem sit origo, exemplis usus est poeta, quibus animum, quae vellet, cernere posse demonstraret.

Versus 877 primus est eius disputationis, qua animum simulacris pulsatum proferendorum passuum causam esse poeta enarrat.

Quae cum ex eis, de quibus modo disputavimus, omnia apta sint, mirum est, quod de oculis, manibus, pedibus non utilitatis causa creatis deque animantibus cibum quaerentibus duas poeta interposuit disputationes, quibus neque ad praecedentia neque ad ea, quae sequuntur, respexisse illum apparet.

Profecto cur pluribus de eis disputem, non habeo. Quae Lachmannus senserit, apponam. „utraque," inquit, (822 — 857 et 858 — 876) „ab argumento libri quarti aliena non sunt, sed nec suo loco posita neque ita scripta ut ulli carminis parti recte inseri possint. itaque haec quoque alio tempore composita sunt, cum poeta eo quae iam perscripta essent non haberet in manibus."

In quinto libro de mundo disputationem poeta instituit ita, ut mortalem eam esse doceret:

nec me animi fallit quam res nova miraque menti
accidat exitium coeli terraeque futurum,
et quam difficile id mihi sit pervincere dictis;
ut fit ubi insolitam rem adportes auribus ante,
nec tamen hanc possis oculorum subdere visu
nec iacere indu manus, via qua munita fidei
proxima fert humanum in pectus templaque mentis.
sed tamen effabor. dictis dabit ipsa fidem res,
forsitan, et graviter terrarum motibus ortis
omnia conquassari in parvo tempore cernes.
quod procul a nobis flectat natura gubernans,
et ratio potius quam res persuadeat ipsa
succidere horrisono posse omnia victa fragore.

Quae sequuntur (v. 110 — 234) Lachmannus emblema esse dicit reliquis olim scriptis insertum. „ergo hic rursus,“ inquit, „perspicuum est poetam et his et illis olim scriptis alia inseruisse, neque ea ceteris ita ut ordo recte constaret accommodasse. sunt autem haec emblemata 110 — 234 ex eo genere, quae supra ad librum II, 166 inter sese aliquo sententiarum vinculo cohaerere dixi; quibus poetam alia similia addere voluisse ex versu huius libri 155 apparet, quo promittit ea, quae nunquam praestitit.“

Nego olim scriptis reliquis ea inseruisse poetam. vel propter versus 97 — 99, eis, quae iam praecedunt, modo scriptis quasi necessario quodam animi impetu commotum ea cecinisse apparet poetam, quae v. 110 legimus:

Qua prius adgrediar quam de re fundere fata
sanctius et multo certa ratione magis quam
Pythia quae tripode a Phoebi lauroque profatur,
multa tibi expediam doctis solatia dictis;
religione refrenatus ne forte rearis
terras et solem et caelum, mare sidera lunam
corpore divino debere aeterna manere,
proptereaque putes ritu par esse Gigantum
pendere eos poenas immani pro scelere omnis,
qui ratione sua disturbent moenia mundi
praeclarumque velint caeli restinguere solem,
immortalia mortali sermone notantes;
quae procul usque adeo divino a numine distent,
inque deum numero quae sint indigna videri,
notitiam potius praebere ut posse putentur
quid sit vitali motu sensuque remotum.

Nec quae de deis deorumque opera infra disputavit poeta, ad ea, quae de mundo docuerat, non retulit omnia:

dicere porro hominum causa voluisse parare
praeclaram mundi naturam, proptereaque
allaudabile opus divom laudare decere
aeternumque putare atque immortale futurum,
nec fas esse, deum quod sit ratione vetusta
gentibus humanis fundatum perpetuo aevo,
sollicitare suis ulla vi ex sedibus umquam,

nec verbis vexare et ab imo vertere summa,
cetera de genere hoc adfingere et addere, Memmi,
desiperest.

A quibus apta sunt, quae exponit v. 195:

Quod si iam rerum ignorem primordia quae sint,
hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
nequaquam nobis divinitus esse paratam
naturam rerum: tanta stat praedita culpa.

Etiam quae de deorum sedibus poeta narrare coepit, ad eandem rem pertinent; cum, si dei, quos immortales esse homines sibi persuadent, caelo sede uterentur, immortale id ipsum esse appareret.

Quae primo animi impetu poeta scripserit de rebus difficillimis, ea nobis relicta esse Lachmannus ipse confirmat, neque retractata eadem neque indefessa cura polita. quod cum ita sit, non intellegere me confiteor, cur idem ad hunc locum pertinere negemus, quod nostratium operibus institutis neque eisdem perfectis confirmetur. latius ab instituta disputatione se ferri passus est poeta, quam in animo erat initio.

Cum exiguum disputationi meae spatium permissum sit, quanquam, quae vellem, paucis significavi nec exemplis aut argumentis copiose comprobavi, iam cum ad finem perducenda sit quaestio, me iusto pluribus supra verbis usum esse typotheta facile mihi persuadet. Quod cum ita sit, ne quis miretur, velim, cur quae de locis, qui etiam restent, tribus dicenda sint, in verba iam conferam paucissima.

In libro quinto disputationem de astrorum motibus alieno loco poeta posuisse videatur. mundi enim, qui iam sit, originem eam fuisse docet, ut prius terrae corpuscula in medio coirent, tum aetheris, solis, lunae, aquae. in summo vero, quod levissimus sit, aethera moveri, in media mundi parte terram quiescere; quae ne auras deprimat nimio pondere, eo prohiberi, quod pariter a prima mundi origine concepta sit.

His quod intersertae essent de variis astrorum motibus variae sententiae, non sine causa admiratus est Lachmannus, cum ad v. 509 haec adderet: „Quae hunc versum praecedunt, iis continuo subiciendum est Terraque ut in

media et cetera 534, neque haec de motibus astrorum poeta infra versu 774 et proximis commemorat. itaque apparet hic quoque in schedis carminis disponendis a primo editore, quem Ciceronem fuisse supra dixi, peccatum esse. poterant autem haec paulo aptius post versum 563 collocari.

Tamen quanquam omissis versibus luculentiorem esse disputationem nemo est, qui negare possit, cum de aetheris motu poeta v. 505 disseruerit, Cicero forsitan peccasse non videatur cuipiam.

Ad versum 1091 Lachmannus haec addit: „In huius libri prohoemio poeta, ubi singulas partes promittit, 73 a loquella ad metum deorum transit, quae quodam naturali vinculo inter se coniuncta sunt. hic vero admodum mire his interiecta est primum origo ignis, quem iam supra 1011 paratum fuisse dixerat, ut quaerendum sit cur unde is ortus fuerit non ante linguae sonos et rerum vocabula exposuerit: tum porro agit de regibus, de populari imperio, de magistratibus et iure; post quae longo intervallo 1361 sationem et culturam terrae commemorat, et postremo 1440 turres et agros divisos, cum 1108 iandudum reges sibi arces condidisse et terram divisisse dixisset. haec qui recte consideraverit, de hac tota carminis parte concedet, eam non posse a poeta eodem tempore compositam esse quo cetera scripserit."

His Lachmannus a vero deerrasse semper mihi visus est. primum enim, quae de prooemio dicit, pertinere ad hanc quaestionem propterea mihi non videntur, quod in eo Lucretius, quas sibi res tractandas proposuerit, non ita profitetur, ut omisisse nullam videatur. scilicet quanquam de hominum priscorum vita, quae dici possent, omnia putandus est enarrare constituisse, haec in prooemio sunt:

tum quae tellure animantes
extiterint, et quae nullo sint tempore natae;
quove modo genus humanum variante loquella
coeperit inter se vesci per nomina rerum;
et quibus ille modis divom metus insinuarit
pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur
fana lacus lucos aras simulacraque divom.
praeterea solis cursus lunaeque meatus
expediam cet.

Nec mirum est, quod v. 1011 ignis mentione facta non eo loco sed infra de ignis origine poeta disputat. eodem enim loco etiam de loquentibus iam disseruit hominibus, cum diceret:

tunc et amicitiem coeperunt iungere aventes
finitimi inter se nec laedere nec violari,
et pueros commendarunt muliebreque saeclum,
vocibus et gestu cum balbe significarent
imbecillorum esse aecum misererier omnis.

linguae autem, quae esset origo, infra copiose enarravit poeta. neque intellego, cur ante linguae sonos et rerum vocabula, quae esset ignis origo, fuerit exponendum neque cur loquela et metus deorum naturali quodam vinculo inter se coniuncta possint dici. sese quod antea ita commemoraverit, ut quamvis magnum esset, minus luculenter tractaret, id iam pluribus illustrare velle, vel his significat poeta: Illud in his rebus *tacitus* ne forte requiras.

Ad coniugium vero certum assuetos homines, cum linguae notitiam ignisque usum accepissent, certam constituisse reipublicae formam quis est qui miretur? nec, cum haec ita sint, causam esse dixerim, cur poetam, quod eo ordine res tractaverit, vituperemus.

Denique quod de satione postea v. 1361 magno interiecto spatio poeta disputat, ad Lachmanni de hac carminis parte sententiam confirmandam non pertinet. nam quae dicit ille, cum postea enarret, quam qua arte homines usi essent exposuit, tum in bellis gerendis tum in terra ferro proscindenda, eis se rerum temporumque ordinem anxia nimis cura secutum non esse significat. nec quae de regibus arces condentibus, cum ad calcem libri properaret, paucis professus est, eis antea sese copiosius de his rebus disseruisse non persuadet.

In versus 1379 — 1435 idem quod in eos, de quibus modo disputavimus, cadere censet Lachmannus. „Haec quoque“ inquit „poetam alio tempore addidisse suspicor, in quibus pariter atque in iis, quae supra ad versum 1091 notavi, sui temporis mores cum antiquis collatos reprehendit. his enim quae subiecta sunt de temporibus 1436, ea ad sationem et culturam spectant, de quibus modo egit.“

Iam quae de versibus 1436 — 1439 Lachmannus senserit, quanquam ita mihi probari non nego, ut ex praecedentibus apta illis referri non videantur, tamen poetam, cum in fine libri de carminibus hominum avium cantus imitantibus dissereret, quod ab eo loco alienum esset, scripsisse non dixerim. nec

mirari licet, quod ipsa ea re, de qua disputabat, commotus, quantula ad vitam beatam necessaria essent, iterum homines ille docuit. scilicet quaecunque ab eo de vita priscorum hominum enarrata reperiuntur, ad eam rem pertinent.

Dubitationem vero ne cui moveat, quod de re nova neque eadem ex praecedentibus apta v. 1379 disputare coepit poeta, ad versum 1361 animadvertendum est. quo, cum de vestibus modo illa disseruerit, sationis quae esset origo ita docere instituit, ut quae earum rerum esset coniunctio, pariter exponere nollet.

De versibus VI, 85—89 eo loco disputavi, quo quid de exordio quarti libri ipse sentirem, paucis exposui.